



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

V. Humiliatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

immensitatem quodammodo coarctas, & sublimitatem deprimis, ut nobiscum amore uniaris: O verè stupenda charitas! ô humilitas profunda nimis!

V. *Humiliatio.*

Quis enim ego sum ô Rex æternitatis! Aut quæ est domus Patris mei, ut immensa Majestas tua ad me veniat? quid sum nisi vile mancipium tuum, umbra, fœnum, bulla, vitrum fragile? hinc ineffabilem excellentiam tuam & vilitatem meam perpendens totus confundor. Non sum ego servus bonus & fidelis qualis erat Petrus Apostolus, ceterique devoti famuli tui, sed sum servus piger & ignavus; & ille tamen te à se exire jubet, eò quòd peccator sum: an non potiori jure ego dixerim: Exi à me Domine, quia peccator sum & peccatorum antesignanus? sed cum à me recedere nolis, imò mortem mineris, nisi te manducavero, quid faciam, nisi ut ex animo te rogem: Mane nobiscum, Domine, quoniam ad vesperascit, & nox vitiorum ingruit. Mane nobiscum per gratiam specialem, per singularem assistentiam & protectionem, atq; conjunctionem amoris:

ris:

ris: ut cum Apostolo dicere valeamus, qui nos separabit à charitate;

VI. *Spes & Fiducia.*

O Rex vivorum & mortuorum! qui resurgens à mortuis, multa corpora Sanctorum resuscitasti, & in gloriæ tuæ societatem admittere voluisti; quid non sperem à te? quomodo de felici & gloriosa resurrectione mea dubitare valeo; qui pignus salutis æternæ toties accipio? quomodo non certus sim, quod depositum meum servaturus sis in illum diem; cum corpori & sanguinis tui arham certissimam toties extradas, promittens infallibiliter resurrectionem in novissimo die, & vitam æternam? *Joan. 6.* Credo, Domine, quod tu Redemptor meus vivas, & in novissimo die de terra surrecturus sis, & in carne mea sis visurus te Deum Salvatorem meum, quem velatum nunc aspicio. Tunc factiabor, cum apparuerit gloria tua. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Præterea, ô spes mea unica Jesu! in te confidit anima mea: & certus sum, non vacuâ manu & absque fructu ad me venies: quis enim Rex pauperem visitat, quem